



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Kiliani Franciae Orientalis, Qvæ Et Franconia Dicitvr;
Apostoli, Gesta, Varijs cum notationibus historicis,
dogmaticis**

Serarius, Nikolaus

Wirceburgi, 1598

VD16 S 5993

XVIII. An in babtizato iam Duce, vxorem eandem tolerare potuisset?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64132)

Matt. 19.

v. 7. 8. 9. 10.

germanos fratres clarissimè indicant? Reuertimini filia mi. Cur venitis mecum? Num vltra habebis filios in utero meo, vt viros ex me sperare possitis? Fatetur sanè Beza: & hanc Deuteronomij legem, illius quæ in Leuitico lata est, exceptionem esse vult. Ego, etsi esse interpretationem dicere mallet, de eo tamen haud pugno; & alterum, quod alicui forte in mentem respondere veniat, ostendo. Videri enim possit non lex, sed, quemadmodum de Repudij libello certum; permissio tantum aliqua propter Iudæorum duritiam. At hominum duritia contrarium potius malebat, cum sæpenumerò leuir aliam potius quam quæ fratris fuisset; vxorem mallet, sibiq; ipsi semen potius quàm fratri suscitare percuperet. Ijs deinde quæ non iubentur, sed conceduntur tantum, nulla imponi pœna consuevit, quæ hoc tamen loco imponitur. Concludo igitur, S. Kilianam in Gentili, nondumq; baptizato duce, matrimonium istud rectè tolerare, ac dissimulare potuisse.

XVIII.

AN IN BAPTIZATO IAM DV-
CE VXOREM EANDEM TOLERA-
RE POTVISSET?

Eandem ob causam, ad exiguum aliquod tempus, quemadmodum & fecit; tolerare potuit. Semper verò tacere, & Christianos Canones, optimamq; Reipub: legem, numquam patefacere nullo modo debuit. Nam cum fide Christiana debent, & ipsius decreta, viuendiq; instituta induci. magnum Christianis alijs offenculum gigneretur, si quod alibi culparetur, & plecteretur; id ne verbo quidem in Franconia, vt vitiosum demonstraretur: Si dux tantus, tam pius, à tanto Magistro edoctus, & institutus eam vxorem, quam Christianorum scita improbarent, retineret. Decibat præterea ipsum, post aliquantum baptisimi tempus, in Christiana viuendi ratione progressus quam maximos facere: non lacte semper & crustulis, sed solido etiam viriliq; cibo victitare. ideoq;

ideoq; rectissimè hac ad eum oratione, sanctus noster usus est. Fili mi, quem per Euangelium CHRISTO genui, gaudeo valdè profectu fidei tuæ, sed multum mouet me, quod illicitis nuptijs teneris implicatus: nec mediocriter formido, ne à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim in sapientissimo Salomone, Qui in vno offendit, multa bona perdit. Iacobo Apostolo illi subscribente, dum ait. Qui totam legem seruauerit, offendit autem in vno factus est omnium reus. Porro in Baptismate innouatur homo, idq; non ex quadam sui parte, sed totus. Vt autem totus innouari possit, nihil pristini erroris retinere debet.

Ecclesi. 9.

c. 2.

XIX.

QVI SACRI LIBRI SACRIS CVM
CORPORIBVS DEFOSSI.

Rrant sacrarum literarum libri, Catecheson, precationum, rituumq; Christianorum, è quibus sacra faciebât, & superest adhuc hodie, in prima vrbe huius æde, sacer Euangelij Codex, quo sanctissimi martyres vsi sunt. Scribunt Centuriatores, & non ita pridem Arnoldus Wion, ab illo vnum contra peregrinos cultus volumen conscriptum. De quo, hac in Ecclesia, neq; legendo, neq; interrogando cognoscere quidquam vsque potui. Leslæus strenuè ipsum hæreticis restitisse affirmat. Sed hoc, etiamsi librum nullum scripserit, fieri potuit. In Maguntiacensi volumine, sic. Illorum capsæ, & crux, & euangelium, aliq; Pontificalia vestimenta, simul cum illis in sepulchro posita sunt.

cent. 7. c. 10.
2 p. ligni vi.
ca. c. 35.

XX.

QVAE BVRGVNDA MARTY-
RVM CORPORA SEPELIENS.

Retaret quis esse gentis hodie non ignotæ, quam à Burgis dictam ait Orosius, fœminam quam-
piam, sed videtur potius nomen esse proprium. Fuit

l. 7.

enim